



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Decernitur quid sentiendum de superstitionibus allatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Communis est Doctrina præsumendum adesse pactum tacitum cum dæmone; Ratio est, quia cum res illa, quæ adhibetur, non sit causa naturalis effectus, erit regulariter solum signum, ad cuius positionem vel Deûs, vel dæmon effectum ponat: cum autem non sit Deus, quia de Sacramentis solum, vel sacramentalibus tale quid per revelationem habetur, non verò de aliis, restat non jam esse dubium, sed moraliter certum, illum effectum fieri à dæmone.

Multò magis, quando adhibentur signa vana ad effectum obtinendum: iis enim se Deus non immiscet, immiscet verò se sapissimè dæmon; Vide Valle de Moura de incant. & empsil. sect. 2. cap. 18. quæ solvit aliquas rationes in contrarium.

69. Dixi (regulariter) nam mihi non semper placet illa Sanchez argumentatio lib. 3. in Dec. cap. 40. num. 40. Hæc cæremonia vana certò non agit ex vi naturali ipsius, nec ex vi divina; ergo ex pacto cum dæmone; Non, inquam, placet, quia potuit haberi effectus causæ & fortuitò. Confirmo, & explico. Experientia comperit nonnullos impositores; ut pecunias extorqueant, propriò Marte componere eas vanas cæremonas. Quod si quando habeatur casus effectus, ij de sua virtute jactant; secus, asserunt esse non esse exhibitam cæremoniæ. Febrim quartanam, v. g. quidam amovit, propinata ad manducandum papyro quibusdam circulis scripta; non rectè argumentaris; sanitas hæc non fuit à Deo per miraculum, nec à causa naturali, ergo à dæmone; potuit enim esse, ut eveniret ex defectu humoris peccantis, qui tunc defecit, quando amuletum illud inscriptæ cartulæ manducatum est. Expendendæ igitur sunt omnes circumstantiæ per diligentem. Et quidem in his similibus examinandis, Theologorum, Doctorumque peritiam esse non opportunam modò, verum etiam omnino necessariam; certum esto.

70. Adhuc duo notare libet. Primum, si in ejusmodi dubio infallibilitatem, sincero animo, excludis, nec certò expectes effectum, jam liberatis à superstitione mortali, si semel aut iterum eam opereris.

Ratio est, quia si id cum prædictis circumstantiis absolute diximus supra, n. 45. sine, multò magis in prædicto dubio, & merito, quia tunc vel actus imperfectus, vel non est grave periculum commercij cum dæmone, seu alterius notabilis inconvenientiæ, ut ex ibid. & num. 46. dictis colligi potest.

71. An verò, si tu semel aut iterum dictas superstitiones usurpes, usurper tamen frequenter is, qui ad te sanandum accedit, an; inquam, propter tuam necessitatem excuseris à mortali cooperatione cum ipso, est questio similis ei questionì, qua quæris an possis petere solutionem maleficij ab eo, qui cum peccato solutus est de quo mox §. 2.

72. Secundum. An usus dictarum superstitionum possit aliquando justificari ex eo capite, quòd propter meas necessitates illis utar? dico, si certum esse superstitionem, nunquam licere. Ratio est, quia superstitionem est intrinsecè mala; involvit enim contemptum Dei, dæmonisque reverentiam: si autem dubium est, an sit superstitionem, sive quia potest effectus attribui causæ naturali, sive quia, cum non possit naturæ attribui, dubium omnibus pensatis est, an Deo per gratiam gratis datam, an à dæmone per pactum; dico probabile esse (nisi aliud aliunde obstat) posse te cum potestione mox in fine hujus numeri dicenda, ex tua notabili necessitate sine peccato ea uti, Ratio mihi non est intrinsecà, quia etiam hic militat argumentum factum num. 68. ubi vidimus cæremoniæ, de qua dubitatur, esse à dæmone, vel à Deo statim esse certum moraliter, à dæmone procedere, atque adeò esse intrinsecè malam: sed est extrinsecà bonorum Doctorum, sic enim colligit à Salas, licet nobis contrarius Valle de Moura dñi. sect. 2. cap. 1. Salas (2. tract. 8. diff. 17. num. 154.) ponat regulam illam, quod in dubiis tutior pars de præcepto sit eligenda, quam alias tenet, limitari, quando ex eo incurretur notabile, seu

magnum nocumentum; probat, quia lex dubia in eo casu non censetur sufficienter promulgata, citatque pro se Suarez & alios, ut de saltem ad manducandum vulneribus, infirmitatibus, aliisque similibus malis; fas erit in dubio illis iis limitationem, verò, de qua Salas, judicat Sanchez (lib. 1. in Dec. cap. 10. num. 32. & in eandem videtur incidere n. 37. sine) probabile, licet contrariam probabiliorum. Hæc Vallæ de Moura, quæ tamen num. 28. refellit. Verum Lefsius lib. 2. cap. 44. num. 46. sic docet apertius.

Non est fictum uti remedio, de quo dubium est an contineat tacitam dæmonis invocationem, hoc enim est, se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi forte id fiat cum expressa voluntatis contraria protestatione. Hæc Lefsius, Vide Lefsius sentire, te vallatum hac cautela, quæ facile muniri vales, posse uti eo remedio, ob necessitatem, scilicet recurrendæ sanitatis.

Decernitur quid sentiendum de Superstitionibus allatis à num. 33.

73. De Ictericæ sanitatē ex filo, explicata num. 33. sit pronuntio. In ea sananda, omnia apparent vana, quare per se ab illa erit abstinendum; utrum autem ex dictis num. 49. & 72. colligatur posse semel, apt iterum, videantur sapientiores.

Eandem Ictericam, mingendo in herbam, expellere, de qua se memini eodem num. 33. forte superstitionem non est, si nihil aliud addatur; posset enim esse vis naturalis herbe Marrobij Ictericæ contrariæ quæ herba per coctum mætas, qui propter urinæ exitum aperientur, emitit exhalationes suas ab calida urina excitas, in interiores partes corporis, malam Ictericæ rationem repellentes. Confirmo; nam aliqui hoc morbo infecti eandem herbam ponunt intra calceos; alij sub nuda planta pedum; alij fructuosius alligant ad nuda crura, & hæcque se hoc remedio restantur. Fortè, quia ejusmodi herba oculta vi Ictericæ hilem avertit, dissipat; vel certe mitigat. Nam non omnino ab ejusmodi mætu, vel alligatione se fuisse valetudini redditum quidam adolescens mihi narravit, sed solum aliqua ratione refectum: qui tamen addidit tandem omnino se sanitati restitutum intra paucos dies prædicta filii fecatione fuisse.

74. De verbi insusillatis in aurem patientis malum calucum, vel equicærotantis, quorum mentio est n. 34. prædictum leniendum diximus, satis num. 8. sine.

75. Jejunium sancti Stephani, de quo num. 35. qua ratione probandum sit n. 46. explicavi.

76. De decimo festo nolente ad convivium sedere, de quo diximus n. 36. assero: si id quis faciat, non certa credulitate, sed quodam levi timore ductus; de mortali non esse damnandum. Vide in simili num. 20. 27. & 28. Illi olim quoad hanc rem, & simul amicum sum colatrematus. Cum agerem Montis Regalis, tredecim ex Canonice invitati simul discubuerunt, ejusmodi superstitionem parvi facientes.

Porro die sequenti quidam ex Collegio Canonico, qui invitatus ad convivium non fuerat, obvisu casu procedens uni ex convivis dixit fore, ut ex ipsis tredecim unus eo anno moreretur, qui alter subridens respondit; potius fore ut ipse non invitatus è vivis delineret, quam unum ex invitatis; adeò vanam eam obsevantiam se existimare. Hæc non insulam responsionem mihi idem, qui respondit, cum risu narravit, & ego, fautor, cum plausu illam excepi, sed cum lacrymis, non post multos dies amicum illum, qui convivio non interfuerat è vita ab inexpectata sublatum febre, sum prosecutus.

77. Gladij meditatio dicta num. 27. videtur manifestissima superstitionem, si quidem nihil naturale vel divinum in eo effecta apparet. Apud Vecherum de decretis natura describatur hic medendi modus, & ego cum curiosè legi, volui eundem relegere post aliquot annos in nova (inquam fortè incidi) ejusdem libri editione, nec

inveni, expunctumque propter nostram rationem meritis
cedit. An semel aut iterum propter necessitatem infir-
mi possit id terrari. quod dubia sit superstitio, propter
dicta n. 71. vel quasi sit parvas in se propter allata

78. De Channabaceo filo à Virgine deducto, de quo
dictum n. 38. quid sentiendum satis innuimus n. 67.

79. Filium adhibere ad horas distinguendas, eo modo,
quo vidimus n. 39. superstitiosum mihi videtur, & vanum,
non tamen solum veniale sit semel aut iterum ex vanita-
te, vel curiositate, id experiri velle ut etiam annuli mo-
tus, de quo n. 49. semel eadem curiositate velle cognos-
cere, collige ex dictis num. eodem. 49. Certè velle experiri
curiosè ex joco accidat; si filum cum annulo adhi-
beatur ad horas signandas; esse veniale docet P. Vincen-
tius Tancredi 1. tom. de Rel. tr. 2. lib. 2. d. 4. n. 14. afferens
Sanch. cap. 9. n. 11. Sanch. Bonac.

Vnum de hoc filo advertas velim: nam Baldelli t. 2.
diff. mor. diff. 12. n. 2. sic loquitur: Ad hanc Hydromantiam
reducitur ex Delrio lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 2. Si quis per an-
nulm de filo suspensum, & intra aquam immittit, inen-
das cognoscere, quæ sit hora, ipso annulo certis ictibus ex-
se pulsante latera vasis. Hactenus Baldelli. Addeamus au-
tem Delrium, is certè loco citato hæc habet verba: Una
specie Hydromantia fiebat per annulum de filo suspensum
in aqua, & vasis latera constans ictibus pulsantem.
Hæc Delrius. Adverte igitur aliud esse hoc quod de ho-
ris, per filum cognoscendis huic explicimus, & aliud
quod Delrius promittit, quæ duo summi confodiri videntur
Baldelli. Probatur: Primò, ex verbis utriusque inter se
collatis. Secundò, quia ea superstitio fili ab utroque his
authoribus vocatur, & Hydromantia, id est, Divinatio
per aquam, & sit in vale, in quo sit aqua: at in casu no-
stro nulla adest, nec a desse debet aqua, ut ego meis ocu-
lis pluries aspexi. Tercò, nec in eodem in nostro debet
necessariò esse annulus suspensus ex filo, cum satis sit
quolibet grave filo, ferreo, vel simili proportionatum:
nec annulus debet in aquam immitti, quæ videtur re-
quiri à Delrio. Quare, quia noster casus solum est ad di-
gnoscendas horas diei vel noctis: cum superstitio à Del-
rio descripta videatur esse absolutà, atque adeò ad alios
item fines.

Rursus idem Baldelli ibid. d. 1. §. n. 6. sic habet: Si
quis annulum filo appensum digitis teneat intra aliquod
vas, & promittit certum aliquem versiculam Psalmi; ad
hoc, ut annulus ex se moveatur ad latera vasis, & eorū
ictuum numero dei horam diei, ideo est superstitio, quia
verba sacra adhibentur ad effectum vanum, qualis est. mo-
tus annuli, & hora pulsatio. Hactenus ille: Qui adhuc
nostrum casum vel non tangit, vel ejus plenam noti-
tiam non habuit ut signatè tangeret. Nam in casu no-
stro nullus Psalmi versiculus usurpatur, ut ego sicuti
dicti, sæpius vidi. Verum hæc pro curiosis innuisse sit
satis.

80. Verba sacra pro lattatu canum, proque effloente
sanguine, quorum mentio facta est n. 40. & n. 41. & pro
morborum expulsiōe quibus n. 42. amota certa ex-
pectatione, & vanis, si forte adsint, ceremoniis, esse lici-
ta, colligi potest ex n. 45. & 48.

§. II. De Maleficio, ejusque dissolutione.

1. Maleficium sive amatorium, quo Malefici utun-
tur ad seducendos animos ad amorem, sive ve-
naticum, quo iidem utuntur ad occidendum, ad infe-
rendum morbum, ad bona temporalia adipiscenda, &c.
est vis ac potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel
tacito cum dæmone; Hoc reducuntur peccata Lamia-
rum seu Strigum, quæ Latine Sage nuncupantur, quæ-
que duo potissimum querunt; delectationes nimirum
turpes ex commistione cum dæmonibus, & damna in
aliis, &c. Quoad hæc porro vide Authores, Sylvest-
r. Malef. Tolet. lib. 4. cap. 16. Azor. 1. part. lib. 9. cap. 25.
& 26. Val. 2. 2. diff. 6. quæst. 13. p. 4. Sanch. lib. 2. in Dec.

Part. I.

cap. 42. & lib. 7. de matrim. diff. 95. Suarez, Delrio, aliòs-
que ab iisdem cit. nobis enim satis sit tria vel quatuor
hic adnotasse.

2. Primò quando occurrit deferri à penitente pec-
catum maleficij, duo examinare Confessarius debet: Alter-
um, an præter maleficium, exercitum fuerit actuale com-
mesum per expressum pactum cum dæmone; esset enim
tunc duplex peccatum, ut supra, §. 1. n. 10. innui. Pari mo-
do multiplex esset, ac signatè confitendum, si addita
fuissent aliæ peccatorum species: hæresis, v. g. vel idolo-
latra externa, vel sacrilegium, vel fornicatio, &c. Alterum
est, an intulerit damnum suo beneficio Maleficius;
esset enim juxta regulas restitutionis omnia damna re-
sarcienda, ut ex se constat.

3. Secundò: Celebris est quæstio, an sit peccatum
uti opera Malefici ad maleficia dissolvenda. Equidem
directè petere à Malefico etiam parato, ut maleficium
maleficio dissolvat, certum est esse peccatum, cum sit
cooperatio ad id, quod est intrinsecè malum, id est, ad
maleficium exercendum, & quamvis petitio fiat, ut sa-
nitati restituatur maleficio affectus, adhuc tamen pec-
catum est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant
bona.

4. Dico (opera Maleficij) nam si nesciam illum esse Ma-
leficum seu Magum, non debco illum ut Magum reputa-
re, sed solum obligor ad inquirenda illa, quæ adhibet, an
sint superstitiosa? Quod si is ea nolit declarare, erit ab
illis abstinendum, ut potè suspectis de superstitione, mul-
tò magis si non sit vir doctus & pius, qui possit judicare
remediis licitis uti.

5. Difficultas ergo est, si petam, ut maleficium dis-
solvat, non petendo: ut id faciat per aliud maleficium,
an licitè petam? Respondeo. Certè si petam, ut dissolvat
solum tollendo signum maleficij, vel illud destruendo,
sciam me illum sic acturum, nec alio maleficio usurum,
esse licitum omnes fatemur, quia tunc res licita petitur,
quam quilibet posset facere sine culpa, idque non sit
convivere dæmoni, sed potius ejus signa, ejusque pacta
destruere.

6. Rursus, si petam absolutè, ut dissolvat, sciam
autem ipsum non posse dissolvere, nisi aliud maleficium
moliendo, quia alium modum non habet, me mortaliter
peccare certum est: quia tunc directè maleficium, quod
est intrinsecè malum, exposcerem: At si petam absolutè,
ut dissolvat, sciens cum posse dissolvere sine maleficio,
& posse cum maleficio, at sciam ipsum sine maleficio
dissoluturum, sane propter rationem modò dictam n. 5.
licitè petam.

7. Quod si absolutè petam, ut dissolvat, sciens
ipsum posse dissolvere cum maleficio, & posse sine
maleficio, putans tamen, inò certò sciens ipsum cum
novo maleficio dissoluturum, major est, & multum cele-
bris controversia, num licitè possim petere? Dico tamen
esse saltem probabile, & tutum licitè posse. Ita Sanch.
dictu diff. 95. de matrim. num. 12. & dicto c. 42. in dec. num. 13.
& novissimè Bardi alios citans diff. de conf. cap. 2. §. 20.
n. 6. Ratio est, quia tunc ego peto, quod is licitè facere
potest: ipsi ergo imputetur, si eligat quod illicitum est:
Quod si mea licita petitio est occasio, ut ipse peccet, sibi
imputet: nam me summa necessitas avergendi à no, vel
è proximo maleficio excusat à cooperatione, quæ for-
tasse ibi esse videtur. Solet afferri paritas de usurario &
infideli: licet enim possim ab his petere mutuam, &
juramentum, licet sciam eos peccaturos accipiendo usu-
ram, & jurando per falsos deos, quia ego rem bonam
vel indifferentem peto: non enim peto ut juret, v. g.
Gentilis per falsos deos, hoc enim planè esset pecca-
tum, quia directè poscerem juramentum per se malum,
sed peto solum, ut juret, id quod ipse potest bene præ-
stare jurando per verum Deum: ni præstet, ipsi imputetur;
me enim à coopératione peccati, quod videtur hic
adesse, excusat necessitas firmitatis contractus incur-
di cum infideli, sicuti in casu mutui, necessitas, quam
patior pecuniæ.

13

8. Inqui